

coetui Filiorum Israelis asseruaretur in aquam separationis; Huius cineris portio imponebatur in vase, cui infusa erat aqua viva, deinde aquae vir mundus intingebat hyssopum, aspergebat immundum, ut sic purgaretur. Et haec quoad singula capita ad Christum eiusque sanguinem quadrare ex variis scripturae locis haud difficulter euinci potest. Ita enim Paulus Ebr. IX, 13. 14. *Si sanguis taurorum et hircorum et cinis iuvencae aspergens inquinatos sanctificat ad carnis puritatem: Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum seipsum obtulit inculpatum DEO, emundabit conscientiam vestram a mortuis operibus ad colendum DEUM vivum?* ubi per iuuenecam Christum ipsum, per aquam vero separationis seu lympham lustralem eius sanguinem adumbratum esse in aprico est. Iuuenca quippe rufa esse debebat: Ruber erat Christus in sua passione multis vulneribus atque vibicibus refertus. Iunior erat vacca seu iuuenca: Pariter Christus in optimo aetatis flore passus est forte trigesimo quarto a natiuitate anno. Sine labe, sine vitio iubetur esse iuuenca: *Ita Christus Sanctus est, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* Ebr. VII, 26. Vaccae rufae nondum impositum erat iugum; Pariter Christus nec legis nec peccati iugo unquam fuit subiectus, nihilo tamen minus sponte se nostri loco utrique iugo submisit, ut nos ab utroque et legis et peccati iugo, cui eramus obnoxii liberaret, *Cum enim venit plenitudo temporis misit DEUS Filium suum natum ex muliere sub lege ut eos, qui sub lege erant, redimeret*, Gal. IV, 4. 5. *Non cognoscentem peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur Iustitia DEI in ipso* 2 Cor. V, 21. Passioni etiam suae, ultro sine iugo, sine coactione semet applicuit, *tuam, inquit, voluntatem mi DEUS facere delector* Ps. XL, 9. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* Ioh. X, 18. Vacca rufa ad maectandum

C

dum